

Die 16 Iulii

**B.M.V. de Monte Carmelo**

Memoria

*Ant. ad introitum*

Is 35. 2

**G**loria Libani data est ei, decor Carméli et Saron : ipsi vidébunt glóriam Dómini et decórem Dei nostri.

*Collecta*

Intercédât pro nobis, Dómine, gloriósa Virgo María, Carméli montis decor, ut eius muníti præsídiis, ad montem qui Christus est, pervenire valeámus. Qui tecum vivit.

LECTIO PRIOR ( propr. )

« Ascendit Elias in verticem Carmeli. »

Léctio libri Regum

I Reg 18. 42-45

In illa die, ascéndit Elias in vérticem Carméli, et pronus in terram, pósuit fáciem suam inter génuâ sua ; et dixit ad púerum suum : « Ascénde, et própice contra mare ». Qui cum ascendisset, et contemplátus esset, ait : « Non est quidquam ». Et rursus ait illi : « Revértere septem viciibus ».

In séptima autem vice, ecce nubécula parva, quasi vestígium hóminis, ascendébat de mari. Qui ait : « Ascénde et dic Achab : lunge currum tuum et descénde, ne óccupet te plúvia ».

Cumque se véteret huc atque illuc, ecce cæli contenebráti sunt, et nubes et ventus, et facta est plúvia grandis.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Lc 1, 46-47. 48-49. 50-51. 52-53. 54-55

*R.* Beáta, Virgo María, quæ portásti æténi Patris Fílium.

- 1 Magníficat ánima mea Dóminum, et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo. *R.*
- 2 Quia respéxit humilitátem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius. *R.*
- 3 Et misericórdia eius a progénie in progénies tíméntibus eum. Fecit poténtiam in brachio suo, dispérsit supérbos mente cordis sui. *R.*
- 4 Depósuit poténtes de sede et exaltávit húmiles, esuriéntes implévit bonis et dívites dimísit inánes. *R.*
- 5 Suscépit Israel púerum suum recordátus misericórdiæ suæ, sicut locútus est ad patres nostros, Abraham et sémini eius in saécula. *R.*

ALLELUIA

Lc 2, 19

*R.* Allelúia *℣.* María conservábat ómnia verba hæc cónferens in corde suo. *R.* Allelúia.

*vel*

Lc 11, 28

*R.* Allelúia. *℣.* Beáti qui áudiunt verbum Dei et custódiunt. *R.* Allelúia.

EVANGELIUM (pr.)

« Ecce mater tua »

✠ Lécio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 19. 25-27

In illo témpore :

Stabant iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius, María Cléopæ et María Magdaléne.

Cum vidisset ergo Iesus matrem et discipulum stantem, quem diligébat, dicit matri : « Múlier, ecce filius tuus ». Deínde dicit discipulo : « Ecce mater tua ». Et ex illa hora accépit eam discipulus in sua.

Verbum Dómini.

*Super oblata*

Beátæ Mariæ Vírginis patrocínium recoléntes, hæc múnera tibi, Dómine, reverénter offérimus, ut eius caritati in tui servítio confórmes, óperi redéptionis árctius coniúngi valeámus. Per Christum.

*Praefatio* (propr.)

- ℣. Dóminus vobiscum.  
℞. Et cum spiritu tuo.  
℣. Sursum corda.  
℞. Habémus ad Dóminum.  
℣. Gratias agámus Dómino Deo nostro.  
℞. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aéquum et salutáre, nos tibi semper et ubique grátias ágere :

Dómine, sancte Pater, omnipotens ætérne Deus :  
Et te in memória Vírginis Mariæ, Carméli Matris, collaudáre, benedicere et prædicáre.

Ipsa enim Verbum tuum fidéliter custódiens et adimplens, atque in oratióne cum Apóstolis persévérans, mystério salutis mirabíliter sociáta, ómnium hóminum spirituális génetrix est effécta. Nunc étiam de frátribus Fílii matérna curans caritate, signum certæ spei et soláctii nobis peregrinántibus praelúcet qui ad montem glóriæ tuæ pervenire conténdimus. Atque in ea, velut in puríssima imágine, quod nos in Ecclésia esse cúpimus et sperámus, cum gáudio contemplámur.

Et ideo, cum Sanctis et Angelis univérsis, te collaudámus, sine fine dicéntes : Sanctus, Sanctus, Sanctus...

*Ant. ad communionem*

Ier 2, 7

Indúxi vos in terram Carméli, ut comederétis fructum eius et óptima illius.

*Post communionem*

Pretiósi Córporis et Sánguini Fílii tui nos, Dómine, sacraménto reféctos, mirífica dilectiόνis tuæ grátia cummúniat, atque obséquiis beátæ Vírginis Mariæ mancipátos, virtútum eiúsdem fidéles constituat imitatóres. Per Christum.